

1426 *oculos posita, aut non vident, aut si videant, dum sibi nimis placent, ita contemnunt, ut pene prius in quantumvis evidens discrimen adducaris, quam per horridum belli nomen, per odiosam impendii mentionem liceat periculis, quæ aperte imminet, occurrere. Quod etsi ita esse, multæ a nostris maioribus, nonnullæ etiam nostra memoria acceptæ clades declararunt: exemplo tamen non minus utili quam evidenti Florentinorum clades nobis esse potest, qui dum crescentem Philippi potentiam, oblata totiens occasione, evertere potuissent, ne magnum aliquod facerent impendium, noluerunt. Quid igitur accidit? aurum quod per ocium & pacem amentes cumularunt, ecce jampridem inutili dispendio profundunt, & quod illis adhuc magis dolendum est, neque pacem neque impendii vacationem ullam, incolumi libertate, reperiunt. Prospicienda sunt, inquam, pericula, ac prospecta præsentis consilio ac virtute propulsanda. Eadem fere ratio est (quis non videt?) in Republica, quæ & in navi gubernanda. Rogo, an si quis tranquillo, & ut dicere solemus, lacteo mari, secundis ventis ac leniter spirantibus, qui navi præsidet, somno & desidii deditus, quæ instare possunt, pericula nihil prospicit, quique quum velis, malo, antennis agatur, ad subitos pelagi casus non omnia mature expediverit; nec quo anni tempore, quo sydere, qua parte maris naviget, quæ vada, quos scopulos declinet, diligenter advertit: nonne hunc, si subita tempestate correptus naufragium fecerit, merito eam calamitatem adiisse diceremus? Nunc simile quiddam Florentinis accidit: simile & iis accidere solet, qui imminetia Reipublicæ pericula non provident, ac provisæ, dum possunt, non celeriter discutiunt. Potuerunt Florentini (ne ab eorum exemplo recedam) crescentem Philippi potentiam, si parum anniti voluissent, facile opprimere: sed vel negligentia, vel avaritia potius, noluerunt. Quid igitur accidit? prælio sæpius victi, perditis rebus, in amittendæ libertatis discrimen adducti sunt, & quod malorum cumulo accedit, grandi redundant ignominia, habenturque pro solertibus stulti, pro callidis bebetes, pro cautis amentes. Propulsanda sunt,*